

Directions: Print this out and bring it to class so we can use it for sight reading. At home, reread the portions we did in class and finish anything we didn't do together.

Aeneid IV.651-671

“Dulcēs exuviae, dum fāta deusque sinēbat,
accipite hanc animam mēque hīs exsolvite cūrīs.

Vīxī et quem dederat cursum Fortūna perēgi,
et nunc magna meī sub terrās ībit imagō.

655 Urbem praeclāram statuī, mea moenia vīdī,
ulta virum poenās inimīcō ā frātre recēpī,
fēlīx, heu nimium fēlīx, sī lītora tantum
numquam Dardaniae tetigissent nostra carīnae.”

Dīxit, et ōs impressa torō “Moriēmur inultae,
660 sed moriāmur” ait. “Sīc, sīc iuvat īre sub umbrās.

Hauriat hunc oculīs ignem crūdēlis ab altō
Dardanus, et nostrae sēcum ferat ōmina mortis.”

Dīxerat, atque illam media inter tālia ferrō
conlāpsam aspiciunt comitēs, ēnsemque cruōre
665 spūmantem sparsāsque manūs. It clāmor ad alta
ātria: concussam bacchātur Fāma per urbem.

Lāmentīs gemitūque et fēmineō ululātū
tēcta fremunt, resonat magnīs plangōribus aethēr,
nōn aliter quam sī immissīs ruat hostibus omnis
670 Karthāgō aut antīqua Tyros, flammaeque furentēs
culmina perque hominum volvantur perque deōrum.

Directions: Print this out and bring it to class so we can use it for sight reading. At home, reread the portions we did in class and finish anything we didn't do together.

Aeneid IV.672-689

Audiit exanimis trepidōque exterrita cursū
unguibus ōra soror foedāns et pectora pugnīs
per mediōs ruit, ac morientem nōmine clāmat:

675 “Hoc illud, germāna, fuit? Mē fraude petēbās?

Hoc rogas iste mihi, hoc ignēs āraeque parābant?

Quid primum dēserta querar? Comitemne sorōrem
sprēvistī moriēns? Eadem mē ad fāta vocāssēs:

īdem ambās ferrō dolor, atque eadem hōra tulisset.

680 Hīs etiam strūxī manibus patriōsque vocāvī

vōce deōs, sīc tē ut positā, crūdēlis, abessem?

Exstīnxtī tē mēque, soror, populumque patrēsque

Sīdoniōs urbemque tuam. Date, vūlnera lymphīs

abluam et, extrēmum si quis super hālitus errat,

685 ōre legam.” Sīc fāta gradūs ēvāserat altōs,

sēmianimemque sinū germānam amplexa fovēbat

cum gemitū atque ātrōs siccābat veste cruōrēs.

Illa gravēs oculōs cōnāta attollere rūsus

dēficit; īfixum stridīt sub pectore vulnus.